





16  
A

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

# EMPLASTRORVM VSV ET ABVSV

*QVAM*

PRAESIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE  
MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET  
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO  
ORDINARIO

ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ET  
REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-  
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

*Ad d. Maii, MDCC XXXIX.*

PVBLINE DEFENDET

JOAN. GODOFREDVS NAVMANNVS

HAYN. MISN.

---

HALAE MAGDEBURGICAE

Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.



EMPPIASTORIUM  
ASA ET ARASA

DIOCINNE HERRENSCHIFFE

WIDOMINNEN IN DER STADT

AGADIPAGA CAZADE NATURAE CAVATORUM ET

ORO GRADA DOCTORS

LOAMGOD LERDUS MELMANS

ROBOLICOL

ROBOLICOL

*Q. B. F. Q. V.*

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

**EMPLASTRORVM VSV ET  
ABVSV**

*PROOEMIVM.*



T omnium rerum modo na-  
scientium facies diuersa est a iam  
adultis aut prorsus longa æta-  
te corroboratis ; multaque in  
viris feminisque adultis secus  
habent , quam in teneris pusio-  
nibus & puellis : ita medicinæ in cunis suis adhuc  
vagienti idem accidisse mirum nemini videbi-  
tur. Non enim solum dies diem docet , verum  
etiam aliqua dedocet ; & omnibus insitus noua  
explorandi & experiendi conatus efficit subinde,  
vt permutentur prisca cum illis , quæ nouitatis gra-  
tia semet commendant. Cumque raro aliquis  
nouator moderationem debitam obseruet , sed  
multi , ne dicam plerique , sua , quæ inuenisse vi-  
dentur , ita commendent , vt priora quantum  
possunt deprimant : accidit sape breui tempore

A 2

maxi-

maxima rerum contuersio. Non enim solum ille apud Phædrum malus futor inopia perditus & ad medicinam conuersus, hominum animos in se pertraxit, multosque inuenit, qui capita sua & vitam permitterent, cui pedem calceandum nolebant: verum omnia tempora habuerunt ipsi similes, nec dissimili fortuna aliquamdiu gaui-sos. Facile apparet, quantum huius generis hominum intersit, si persuadere aliis possint, aut illa non esse necessaria, quæ alii per multos annos ad artem instituti norunt & faciunt; aut omnino esse talia, quæ ad ambages & vel timiditatem, vel imperitiam referri mereantur. Fieri vix potest, ut medicina inter haec fata maneat eadem, sed necessarium est quotidie eam interpolari, sic ut raro sæculum transeat, quin plures metamorphoses notare liceat; aliquas auspicatas & lætabiles, plures tamen cum detrimento artis coniunctas. Nemo forte erit, qui dubitare possit de veritate eorum, quæ protuli, si vel leuiter eorum, quæ arti ab origine sua acciderunt, peritus sit, vel intra vnum proximum sæculum gesta ex obuiis libris cognouerit. Non dicam de iis, quæ partem medicinæ theoreticam turbinis instar sæpe circumegerunt: sed pro me tantum alle-

allegabo in practica eius parte siue tentata & mox  
intermisla , siue introducta & a multis hodieque  
frequentata. Quantum quæso strepitum facie-  
bat , quum primum proponeretur , noua illa  
clysmatica , seu chirurgia infusoria , quæ per ve-  
nas apertas ad sanguinem immediate demittebat  
medicinas: quantumque ei affinis & coæua trans-  
fusoria , quæ ex animali in animal , ex brutis in  
hominem , aut ex homine sano in morbo labo-  
rantem traducebat sanguinem. Sed cum ephemeris  
plantis & animalibus ætate illa certauit: at-  
que nunc , credo equidem , nemo superest , qui  
non rideat stolidum irritumque conatum. In-  
gens erat gaudium , quo mortales afficiebantur  
præclaris illis chymicorum concentratisque essen-  
tiis , quintessentiis , tincturis , extractis , magiste-  
riis , ante hos forte centum annos beati. Mitte-  
batur repudii nuncius illis , quæ non honoris , vt  
decebat , causa vocabant Galenica. Sed quotus  
est quisque hodie magnus medicus , qui non co-  
gnoscat pandoræ pyxidem pandisse illos , qui or-  
bem spe & exspectatione inflabant , chymicorum  
Hermeticorum nomine induitos nouatores. Non  
ne summi viri missis ipsis nugiuendulorum quis-  
quiliis , quo nomine certe pleraque digna sunt , ad

A 3

serum

serum lactis, ad iuſcula ſuccis plantarum alterata, vegetabiliumque infuſa & decocta redierunt, quamquam pleraque decocta ptifanarum potius nomine, quam antiquo, ægrotis ſuis laudare conuenientius putant. Annon videmus in orbem redeuntium ſiderum medicorum circulos, aliorum, quæ minora ſunt, celerius, tardius aliorum? Hæc meditatio in animum venit de emplaſtris locuturo, quum animaduerterem bonum HIPPOCRATEM COVM, quem artis medicæ parentem veneramur, ne quidem ſciuifle quid fit emplaſtrum, illoque verbo, vnde id nomen venit, ita fuſle vſum, vt ipſi non magis cum emplaſtri notione hodierna conueniat, quam alio conuenit cum cariſis, aut lufcinie cum ſcarabæis. Illo tempore, quod inter HIPPOCRATEM & CORN. CELSVI effluxit, emplaſtra innotuerunt, & iam bene multa; quorum auctores eſſe oportet inter illos, quos hic laudat lib. VII. præfatione: ſed non vacat hæc accuratiuſ inquirere. Quantopere res increuerit deinde ad tempora renaſcentium litteratum, cognosci potest ex ſcriptis medicorum & chirurgorum, quæ mentione ac formulis emplaſtrorum, tam magiſtralium, quam officinalium, plena ſunt. Operæ itaque pre-

pretium duxi me omnino facturum, si illam partem medicinæ practicæ, quæ de utilitate vera ab emplastris recte adhibitis speranda, & de noxibus a prauo vsu expectandis agit, considerationi subiicerem. Id vero ut mihi cum bona beneuoli lectoris venia liceat, æquitatem ipsius, qua decet modestia, imploro & officiosissime expeto.

## §. I.

**E**Mplastrum esse genus medicamenti externo vsui destinati & excogitati, eamque consistentiam adepti, ut super alutam, linteum, sericumue extendi, parti deinde cuidam imponi, ad varias intentiones medici, possit, vsque adeo hodie notum est, vt vix verbis ad declarationem opus esse existimem. Vocabulum Græcam originem ipsa statim fronte prodit & testatur apertissime: quare non inutile erit illam requirere. Est autem a verbo ἐμπλάστειν, quod, exponente ROB. CONSTANTINO, medico & philologo doctissimo, denotat subigo & versando mollio, in massam formo, illino, infarcio, ferrumino, locum obstruo, impleo, oppleo, spiramenta obstruo. Apud Hippocratem, docente ANVTIO FOESTO in *œconomia Hipp.* vox hæc tribuitur membris tumore cedemato obsefisis, quæ si digito premas soueam accipiunt & aliquamdiu retinent, non secus ac pasta farinacea aut fermenti massa. Sic libro *de mul. morb.* II. pag. 641. ἢ πιέζεις τῷ δακτύλῳ, ἐμπλάσσεις τὸ σπεργὸν εἰς τοῦτο. Atque in eundem sensum adhibitatam vocem iterum videoas pag. 643.

643. & 465. Dubium itaque redditur, sit in emplastro magis attendenda notio actiua, qualem videmus in adiectionis ab Constantino expositionibus; an vero potius passiva, ex mente Hippocratis. Clarius dicam, dubitare licere, an emplastrum ab effectu emplastico nomen habeat, an a qualitate & consistentia molliuscula, ductili & impressæ fouæ conseruandæ apta.

### §. II.

Vt hæc res clarius innotescat, dispiciendum est quid veteres auctores, vt DIOSCORIDES, GALENVS, aliquique, vocauerint ἐμπλαστὸν, nosque seruato eodem nomine emplasticum hodieque denotemus. Scilicet ἐμπλαστὸν aut ἐμπλαστιὸν, subaudi φάρμακον, vocatur, quod cutis meatus constipandi & oppilandi, sive obstruendi vim habet, estque synonymum eius ἐμφραγμόν, contrarium autem ἐφραγμόν seu ἐπικαθετόν. Emplastica sunt omnis acrimoniam expertia, terrestris naturæ, viscose, tenacis, veluti amyllum, pompholix, cerussa & id genus alia. Ex his fiunt, probe docente CONSTANTINO, emplastra. Nam emplastrum compositionis rationem obtinet, ἐμπλαστὸν vero & emplasticum materiarum & facultatis: tametsi multi vocabula confundant aut nesciant distinguere. Atque ex huius distinctionis neglectu factum puto, vt in multis libris pro certissimo ponatur, quod tamen egregie falsum esse inferius ostendetur, omnia emplastra poros obstruere & concludere.

### §. III.

Inter emplastra & cerata, quæ & cerota ad leges Græcæ linguæ vocantur, intercedit hæc differentia, quod mol-

molliora ſunt cerota ; duriora autem emplaſtra. Sed noſtro æuo multis locis cerati nomine veniunt , quæ aliis emplaſtra vocantur , & vix valde notabilis conſiſtentia diuersitas obſeruatur. Impetratur autem facile, ſi eam quidem deſideremus, maiori quantitate oleorum aſſumita. Cataplalma autem, quod veteres , vt apud CELSV M V. c. 17. videre licet, malagma vocabant, vtroque etiam mollius paratur, pultisque conſistentiam ſibi depoſcit , vt vel parti patienti immediate circumponi poſſit, vel inter mollia lintea receptum commodius applicari. Si quid omnino mollius eſt & illinendo aptum, vnguenti iam nomine cenſetur. Sed quæ hic ſubtilius diſputari poſſunt aut ſolent, ea videnda ſunt apud illos auctores, qui de formulis praescribendis commentati ſunt, vt & iſtos, qui artis pharmaceuticæ enchiſefes do- cent. Multi quidem iſta attigerunt ; quos inter pluri- mum laudis meretur IO. ZWELFERVS. Sed qui ar- gumentum hoc ex iſtituto traſtauerit, praeter IOAN. DV BOYS nullum noui, cuius *obſeruationes in methodum miſcendorum medicamentorum topicorum*, que in quotidiano uſu ſunt, Londini 1639. editæ plura complectuntur, quam me apud vllum alium videre memini.

§. IV.

Emplaſtrorum iam apud antiquos magna habetur varietas. Differentiæ cenſentur a colore ; vnde aliqua laudantur nigra, elephantina maxime candida, alba, vi-ridia, ſmaragdina, rubra, ruffa, citrina : aut a virtute, vt cephalica, quia capitibus fractis maxime conuenire pu-tantur ; paracolletica, quæ vulnus recens glutinant ; e-pilpaſtica, nobilia ad extraheendum ; ſeptica, id eſt exe-  
B dentia;

dentia; item pus mouentia, lenientia, aduersus mortis; quæque sunt huius generis alia. Porro sunt ab inuentoribus denominata, vt Hecatæi, Tryphonis, Dio genis; itemque a patria, vt Coacum, Attalum; vel denique ab ingredientium numero, vt tetrapharmacum, enneapharmacum, apostolorum. Recentius æcum horum veterum aliqua, quamvis plus vel minus interpolata, habet; addiditque vetustis bene multa, a præcipuo ingrediente potissimum denominata, vt de ammoniaco, galbano, betonica, cicuta, saponatum, de spermate ceti, ranarum: quæ sigula exequi longum esset, neque tamen necessarium, quod cuique facile sit obuium tam nomen, quam eius imponendi ratio, si paucula excipias ex fuliginosorum hominum cerebro orta, vt opodeldoch, & si qua horum sunt similia.

### §. V.

Sed mittimus hæc & accedimus ad exponendum de vsu emplastrorum, quem testimonio CORN. CELSI V. cap. 21. maximum, præcipue varium præstant. Non potest itaque in vniuersum pronunciari de remedio variis vsus habente, quod uno tantum modo agat: sed per classes eundo oportebit ostendere varietatem vsus; haecque proposita dispicere, quid vero simillime dici possit de modo, quo usum illum quemque præstare videntur. Primum autem dispiciemus de illo, qui forte antiquissimus est, emplastico. Jam attigimus hanc rem supra: nunc addimus, quæ ad clariorem conceptum formandum desiderari posse videntur. Emplastica ab antiquo vocantur, quæ, externe adhibita, meatus instar glutinis compingunt, adeoque dissilationem & euapora-

tionem.

tionem prohibendo efficiunt, vt sub cute consistens durum & coagulatum, interpositis particulis humidis, emolliatur. Quo facto diversa eveniunt, pro eo, ac ipsa illa durities, quæ coit, diversæ naturæ est. Nam si ita in vasis adhuc integræ hæreat, vt vi appellentis fluidi vitalis protradi, inque consortium fluitantium humorum redigi possit, dissipatur illa durities, tumorque omnino aboletur. Sive vero vel ita firmiter vasis impactum fuerit vitium, vt nullo modo promoueri possit, veliam perruptis vasis extravasatum hæreat, & temporis diuturnitate vitiatum sit; per continuo appulso nouos humores, & prohibitam evaporationem, sit ille, quem veteres dixerunt, πεπασπός, seu mutatio stagnantium humorum, ac simul corruptorum solidorum, molliorum, alteratio in pus; quod etiam εκπόνων, Latini suppurationem dixerunt, vnde apostema seu abscessus oritur. Si vero magna & diffusa sit collectio illius a motu suo exclusæ materiæ, & humores vi vitæ copiose appellantur, nihil autem exhalare possit, sit omnino gangræna: cuius exitus est vel in sphacelum, vel scirrum, a quo in cancerum fieri potest transirus. Videat, qui hæc fusius cupit, magnorum virorum, WEDELII amanit. mat. med. lib. I. sect. 2. cap. I. & BOERHAAVII tract. de virib. medicam. cap. IV. de constipant. p. 150. seq.

§. VI.

Idonea autem præstanto effectui constipanti & poros occludenti potissimum iudicantur, atque adeo in emplasticorum censu habentur, primo quidem farinosa omnia acrimoniae expertia, si cum aqua in pastam redigantur & illinantur: deinde viscida tenacia, vt glutinosa

nosa decocta spissiora ex althæa, semine lini, foeni Græci, viscum aucuparium, gummata de natura purgante nihil participantia, vt arabicum, bdellium; tum decocta gelatinosa fortius inspissata, vt gluten, ichthyocolla: denique olea, si, exhalata fluidiori parte, in spissamentum cocta sint, cera etiam, terebinthina, & horum similia: tandem terrea macriora, vt cimolia, boli, lac lunæ, ipsaque cerussum cum saturninis aliis, quæ cum oleis diutius cocta in singularis naturæ spissamentum abire solent, obstopando, si quod aliud, idoneum. Atque ex huius generis materia componuntur emplastra illa, quæ puri mouendo olim hodieque destinata prostant & plurimum frequentantur, vt tetrapharmacum atque eneapharmacum veterum, diachylon simplex, de meliloto, pluraque huius generis. Sed in genere utique obseruamus, quod talia etiam illa intentione, vt pus mouerent, imposita, sœpe tardiora & minus efficacia sub hac emplastræ forma deprehendantur, quam si malagmatum modo sint adhibita: adeoque sœpe ab illis non reportemus effectum suppurationis, quem intenderamus, sed optabiliorem, quem vix amplius speraueramus.

### §. VII.

Iuuabit in hanc rem adferre unum alterumque casum, qui nobis plenissime sunt cogniti. Honestæ femina puerum lactans, nescio ob quas causas, lactis in mammis suis stagnationem incurrerat, aduersus quam varia adhibita fuerant domestica, quæ aliae mulieres ipsi commendauerant. Sed non expediebatur illa æqualiter, verum remanebant duo vel tria tubercula, quæ indies maiora euadebant, incredibilemque dolorem mouebant, cum

cum sensu pulsatorio indies magis augescente. Nihil videbatur superesse, quam ut ad suppurationem deducatur; atque hoc fine imponebatur emplastrum ex citri & diachylon aequalibus partibus compositum, quorum hoc omnibus consentientibus est maxime emplasticum & suppurando, ex hypothesi certe, aptissimum; illud autem ex tenacissime adhaerentibus, porosque claudentibus, proximeque accedit ad tetrapharmacon vetus, cui in pure generando primas utique partes deferebant. Ac nescio sane, quæ alia causa sit, cur vulgas nostrum id vocet den gelben Zug, si non hæc, quod pus celeriter producat & exitui præparat. Sed nihil horum euenebat in illa femina, sed longe magis optabilis effetus. Scilicet dolores mox leniebantur, & conspicue decrescebant. Quum post aliquot horas sentiret femina aliiquid humidum in affecto loco, & emplastrum remoueretur, mirum erat, quantopere iam tumor minutus eslet: illud autem magis admirandum, quod locus omnis, quem texerat, tamquam cremore lactis spisse oblitus videbatur. Quare detersa illa humiditate spissa, nouum imponebatur emplastrum, quod non alia ratione, quam prius, educebat spissam per poros humiditatem; atque hac ratione, absque ullo suppurationis euenu, plenaria sanitas parti laboranti reddebatur.

## §. VIII.

Addam aliam non omnino dissimilem obseruationem in vivo habitam. Huic ante complures annos in regione umbilicali tuberculum sub cute instar pisí enatum fuerat, dolore obruso tendente se prodens. Inspiciebat locum, videbatque esse porum maiorem indu-

B 3

rata

rata materia suffarctum: quare leniter premendo illam exprimebat. Ex eo tempore magis atque magis colligebatur in eiusdem pori folliculo materia similis, quam identidem premendo digitis emoliebatur. Accidit autem, vt febre aliquamdiu laboraret, multumque eniacresceret eius diuturnitate. Liberatus a mörbo, cum se reciperet, fentiebat eundem locum impletum, sed non æque, vt antea, facile erat exprimere: quare augefcebat tumor, durus & renitens erat, morsificationes sensibiles subinde afferebat, quas puncturarum & vellicationum nomine denotabat. Tumor iam ouum columbinum æquabat, & exterius rubebat. Incidebat viro necessitas itineris, quod per quatuor dies noctesque continuandum erat: quo tempore, & coniuncta corporis agitatione crebraque concussione, locus ille sensibilissime dolere incipiebat, non aliter, tamquam rodens laceransque animal subefset. Cogebatur nondum confectum iter abrumpere, vt corpori curando operam daret. Locus affectus non aliter, quam cancer fluuiatilis modo elixitus rubebat, dolebat, vt nec digito tangi sine maxima exacerbatione posset, erat durissimus. Imponebat illico emplastrum ex cerato citrino & de cumino mixtum paribus portionibus: quorum alterum doloribus mitigandis, alterum maturando erat expeditum. Efficiebat hoc, hora ante meridiem vna impositum, vt ante vesperam dolor omnis auferretur. Remoto emplastro, omnis superficies spissio tegmine instar cremoris laetis erat tecta, qua abstensa, nulla rubedo apparebat, satisque iam mollis erat tumor, qui eadem nocte sponte ruptus emittebat spissam & instar calei veteris male olen-

olentem materiam, quo facta omnia evanescabant priora incommoda.

§. IX.

Ex his quidem casibus puto elucere, quod emplastrorum, in emplasti formam redactorum, non adeo exaggeranda sit virtus poros obstruendi: & quod emplastra, ad id composita, ut poros obstruant, illum operandi modum non semper exserant. Saltem posterior casus docet, quod materia in abscessu contenta fuerit fluidior & ad faciliorem excretionem aptior redditia absque pororum obstructione. Vnde enim venit illa, quæ omnem superficiem obsidebat, marea cremori lactis consistentia & colore simillima, nisi ex poris cutis abscessui supertense? nam ex emplastro venire utique non poterat. Et ex loco, cui emplastrum incubuerat, eam venisse, docebat subsecuta tendentis doloris ablatio, & consequuta mollities ipsi tangentи digito notabilis. Longe autem magis hoc persuadebit casus feminæ, vbi fideliter indicata emplastra per poros eduxerunt notabilem stagnantis materiæ quantitatem, reliquam vero, ut probabile est, mobilem reddiderunt, vt omnino nulla suppuratione accideret. Videtur sane hinc illud consequi, quod modos agendi remediorum tam solide ostendere, quam facile verbis exponuntur & describuntur, non æque liceat. Forte etiam illud consequetur, quod suppurationem mouentium magis conspicua & certa vis sit in itasibus sanguineis, quam quidem lymphaticis, aut in quauiscunque parte exsangui. Si vero apparet, quod illa, quæ communī scholæ medicae consensu *κατ' ἔξοχην* emplastica habentur, emplastra, non vnicē & semper agant

agant poros ocluendo: quis putabit, de omnibus porto emplastris secure & sine formidine oppositi doceri posse, quod poros occludant, ideoque suspectus esse emplastrorum usus debeat. Ego certe, si quidquam in medicina practica egregie fallum dici potest, hanc doctrinam hoc referendam confidenter assero.

## §. X.

Atque in eo quidem tanto magis confirmor, quod non solum apud præclaros auctores legi, sed oculis meis vidi, dari emplastra, quæ ubi parti male affectæ fuerunt imposita, acrem humorem eliciunt, ut guttatum defluat. Vir quidam doctus, & medicus insignis, intratu Onoldino physici munere nunc fungens, diu laborauerat dolore molestissimo rheumatico, qui in regione temporali fixus hærebat, hinc autem ad maxillam inferiorem & dentes saepe excurrebat, quibus intolerabile tormentum afferebat. Imponebat tandem emplastrum illud officinale, quod catarrhale dicitur, a quo, licet ex tenacissimis istis caranna, tacarnahaca, mastiche, terebinthina, compositum sit, omnibus utique emplasticis eminentibus, conseqüebatur effluxus acerrimi & cutim omnino exulcerantis & erodentis ichoris, cumque is biduo continuasset, omnino malum omne cessabat. Audierat hunc successum nobilis matrona simili affectu laborans, atque ab eiusdem emplastri usu eundem effectum, eandemque opem, conseqüebatur. Videlicet eiusmodi euentus HADR. MYNSCHTVS, qui in armament. med. chir. de suo emplastro diaphoretico perhibet, quod post eius usum saepe guttulae appareant aquæ in emplastro & loco affecto. Iam si poros obstruerent atque

atque constiparent omnia emplastra, docere deberent, qui id perhibent, a quonam fonte promanauerint illæ non in emplastro solum adhærentes visæ guttulæ, sed prorsus riuuli, qui per genas defluxerunt, & sua acri monia illas exulcerarunt.

§. XI.

Vidimus iam exemplis emplastrorum, quæ, omnibus medicinæ præceptis id determinantibus, de emplasticis plurimum in se continent, quod poros non semper claudant, sed operationem tamen laudabilem in corporibus exlerant. Nunc ad alia progredimur, quæ non sunt composita illo scopo, vt occludant poros, sed vt vires medicinarum, quas comprehendunt, poris immittant, per omnem massam distribuendas, vt in partibus & visceribus profunde sitis operationem suam per agant. Eiusmodi autem sunt, quibus, exteriori alicui corporis regioni impositis, alui excretionem promouemus, lumbricos expellimus, menses aut lochia euocamus, bilem restitantem, & in corporis proinde habitum diffusam, aperto suo alveo, ad intestina deriuamus. Quæ cum omnia effectum suum in sensus utique incurrentem edant, adeoque nullo pacto negari possit, quod agant, tanto utique minus dubium est, quod agant poris immittendo aliquid, a quo effectus illi in partibus interioribus consequantur: & quod proinde non sit firmum, omnia emplastra agere poros obstruendo.

§. XII.

Iam vero dari emplastra, quibus abdomini impositis & aliquanto tempore relictis, aluus tardans & indu-

C

rata

rata expediri possit, dubio omnino caret. Id in multis  
hypochondriacis, quibus siccius aliud molestias con-  
tinuas faciebat, saepius cognitum fuit, si emplastrum sa-  
ponatum, vel solum, vel, ut stricturas spasmodicas simul  
relaxet, cum aliquo anodynō, ut splenetico, de cicuta,  
de ammoniaco, mixtum impositum fuisset. Notabili-  
lem omnino casum paucis subiungam. Vir nobilis &  
strenuus inflammatorio ventriculi & hepatis affectu cor-  
reptus, periculum acuti morbi effugerat, iamque lan-  
guescente febre, ita decumbebat, ut fere sui non recte  
conscius degeret, raro ad se rediret. Animaduertebar-  
tur aluum non respondere officio, eiusque causa clyste-  
res plures injecti nihil effatu dignum eduxerant. Per  
os exhiberi paullo efficaciora prohibebat imbecillitas summa, & metus ne inflammatio vix extincta renoua-  
retur. Oleosa & mannata nihil effecerant, salina ferre  
non poterat. Ita constituto ægro imponebatur empla-  
strum ex saponato, additis illis de cicuta & ammonia-  
co: quod quum biduo in tota regione hypochondriaca  
hæsisset, aliud sponte soluta copiosissime reddebat  
icybala durissima & copiosa. Relinquebatur empla-  
strum alternis diebus renouandum, eiusque beneficio  
in ordinem legitimū reducebatur aliud, absque illa  
alia ope: & quæ supererant morbi reliquiæ, vi vitæ re-  
stituta per analepticam diætam, fere sponte, minima  
certe a medicamentis ope, profligabantur. Puto uti-  
que profuisse emplastrum saponis virtute resolvente, &  
humores tenaciores glutinofioresque, per diuturnum  
calorem febrilem factos, incidente: sed additis anodyn-  
is illam efficaciam tribuendam puto, quod spasmus  
mem-

membranis interioribus profunde insidens relaxatus, & motui peristaltico debiliori labor proprimendi fæces magis superabilis fuit redditus.

§. XIII.

Experientia docet vtique, quod ad alii duritiem vincendam per externa omnis generis, non tam stimulantia & acria requirantur, quam potius lenia, cum iis, quæ solidae fibra tensionem nimiam remittunt, probe vnta: quare omnibus tenerioribus & hypochondriacis omnino insigniter talia conueniunt, & certissime maiorem fructum præstant omni pilularum genere, quæ nimis cito desinunt eadem dosi, qua initio sufficiebant, mouere, vnde breui admodum tempore ad maiores ascendere opus est. Sed video auctores non contemnendos emplastra etiam drafticis rebus constantia ad hydropicorum aquas expellendas commendare, vt succo cyclaminis, ireos caruleæ, & similibus. Evidem nescio, quam bene talia se gerant: vereor tamen, ne coctio ne, quæ euitari non potest, plurimum virtutis amittant, & adiecta pinguia magis etiam ea inuoluant. Sed forte resolvente virtute non improbanda venient, si post aliquot dies, quam imposita talia fuerunt, subiungantur hydragoga meliora. Nescio etiam, an emplastrum saponatum hydroponi ventri circumdate, ex THOM. FVLLERI confilio lympham per diaphoresin certe sit dissipaturum: optabile vtique videtur, vt sit constanter verum. Ad lumbricos expellendos emplastra etiam passim laudari vides ex amaris & graueolentibus composita.

C 2

§. XIV.

## §. XIV.

Ad menses euocandos, & vteros purgandos, emplastrum vtique præclare sese gerunt, quoties vel spissitudo & lensor humorum corrigendus est, vel fibrarum rigidas sanguinem ad internos vteri villosum pertingere vegetat, vel nimia flacciditas & atonia progressum lusflaminat. Sunt igitur pro vitii præsentis ratione deligenda ex tanta eorum multitudine, quæ maxime conueniunt. Et lentori quidem corrigendo faciet sapontum, oleo sabinæ aut petræ subactum; si spasimus adsit, remittetur illo de meliloto aut de cumino, itemque de cicuta; flacciditatem corriget illud de baccis lauri, cui néruinum aut diaphœnicon, vel de galbano, nec non oxycroceum addi possunt, vt & illud matricale, quod in officinis prostat, & præcipue commendatur ad hysterica pathemata spastica, & ad vicinas partes longe lateque excurrentia. IO. FREINDIVS *in emmenol.* adfert exemplum, ex quo cognoscitur, quam sint utilia emplastra resoluentia anodynæ permixta, vbi cunque suppressæ euacuationes menstruæ in ordinem redigendæ sunt. Coniungit autem matricale ordinarium cum illo de galbano, & camphoram atque opium larga manu adiicit, idque se facere exemplo GEORG. BATEI, qui magnus archiater fuit, ostendit. Habet autem opium & camphoram, si exterius applicentur, potentissima omnium & validissima attenuantia; eandemque sententiā *in hisp. medic.* vbi de Aetio sermonem instituit, iterum inculcat. Mihi vero videor deprehendisse, validissima non semper esse in hoc genere tutissima: omninoque

VIX.

que magis sector cicutam, hyoscyamum, nicotianam,  
quam ipsum opium.

### §. XV.

Atque ut hinc progrediar ad resoluentia seu discutientia; eorum esse usus & necessitas intelligitur, quoties humores lentiores & tenaciores facti in aliquo loco colliguntur, & tumorem cum sensu tendente, grauante que faciunt; qui ubi diutius permanet, viuum & molestum dolorem, indies magis incrementem, producit. Illud vitium vel sanguineo rubro humoris accedit, vel alicui a sanguine secreto, ut lymphae, lacti, semini, bili, ut & lentelcenti subpingui quod in pororum maiorum, ad cutim passim definentium, folliculis colligitur, ab aere autem ambeunte induratur, unde a tergo subsequens folliculos expandendo, circumiecta autem premendo, varia incommoda producit. Non licet hic ample exspaciari in aetiologyam horum affectuum pathologicam. Illud paucis innuisse sufficiat, multa horum feliciter tolli per emplastra, si modo loco aptissimo imponantur. Plerumque enim tumorum causa residet in viscere quodam, per quod rediens ab illo loco sanguis, ob varia impedimenta, non trahiit debita facilitate; aut in glandula obstructa & indurata, ad quam lympha a parte reflua haeret & transitu prohibetur. Si tali casu loco tumenti imponatur emplastrum, non solum non efficit, quod optamus, sed saepe malum exacerbat & inflationem auget. Quod si vero super viscus ponas aut glandulae admoureas, effectum sane optatum licebit spectare, nec raro spe promtiorem & maiorem: modo ipsa viscera diurnitate nondum sint omnino

C 3

corru-

corrupta, & glandulæ non abierint in irreparabilem destructionem.

### §. XVI.

Inter meliora, quæ in omni emplastrorum apparatus officinæ includunt, hec cognoui & sape experiendo didici, de quibus candide loquar. Omnium optimam censeo compositionem emplastri splenetici, quæque pro exemplo possit seruire. Sunt enim succi purgantium plantarum, ebuli & nicotianæ, succo cicutæ pro correctorio additi. Emplastrum de ammoniaco proxime hic accederet, si pulueris bryoniae & iridis Fl. maior quantitas accederet: binæ enim drachmæ non sunt in iusta proportione ad reliqua: præsertim, quum illud, a quo nomen traxit, ammoniacum, cum pauxillo galbani, ad tantam pinguium & emplasticorum ceterorum copiam non sufficiat æquilibrio. Emplastrum saponatum, quale prostat & Barbettio adscribitur, satis laudabile est; sed sunt casus, vbi saturninorum tanta quantias non potest haberi indifferens, quia retropellunt. Ut ilissimum foret, si saponem cum gummatibus, vt ammoniaco, galbano, abfque his metallicis, redigeremus in emplastrum, succis plantarum discutientium adiectionis, cum terebinthinæ & resinosorum iusta quantitate ad tenacem consistentiam. Ceterum hoc saponatum laudato splenetico, itemque illis de cicuta & gummi ammoniaco, additum, discutiendi, resoluendi, relaxandique stricta omnia intentionem optime implet, planeque polychrestum est, potestque magis anodynū etiam reddi, si adiungatur illud de hyoscyamo: discutientem au-

tem

tem virtutem etiam intendet camphora adiecta. Laudatur etiam a multis, præfertim Gallis, diabotanon Blondelli, quod apud LEMERIVM in pharmacop. uniuersali & in pharmacopoeia Argentoratensi pag. 76. legitur. Certe memini me ex chirurgi cuiusdam non vani ore audire, quod in sarcocèle impleuerit spem illam, quam de eo DIONIS & PALFYNVS in suis libris faciunt. Iubet autem vterque illud æquis partibus admiscere illi de rassis cum mercurio Vigonis. Idemque consilium ad plura glandulosis partibus inhærentia vitia extendendum videtur.

### §. XVII.

Resolutoria hæc & discussoria emplaſtrorum utilitas vtique latissime patet, & non exiguum partem recti vſus topicorum complectitur, aut communes cum illis cautiones requirit. Dicitat omnis ratio, illud, quod mouere & promouere volumus, prius debere mobile reddi. Id fit ex parte quidem stagnantis & subsistentis, si emolliatur: atque huic fini vtique necessarium est initio non valde mouere, per potentissima discutientia, sed viam, tamquam emollire vellemus, ingredi. Ex parte solidorum necessarium est, stricturas eorum minuere, & laxas vias reddere. In hoc negotio non monendum multis duco, quod rationalis medicina semper supponit, maius vel minus hoc esse negotium, pro corporum curandorum diuersitate, a temperamentis, ætate, morbique ipsius duratione: itemque quod internis præfidiis succurri in hac re possit & debeat. Si vero orsi a lenissimis sumus, ad efficaciora licebit progredi. Nam qui initio statim ad hæc veniunt, dissipata parte flui-

Audiori & mobiliori, reliquum omnino fortiter impingunt, & insanabile malum reddunt: quod probe iam vedit & monuit PAVLVS AEGINETA, ob hoc candidate laudatus a FREINDIO in hisp. medic. p. m. 150. Posset hic error committi, si initio statim adhiberentur, præsertim in sicciore & strictiore subiecto, illa, quæ vna cum resoluentibus aut fortissima adstringentia, aut repellentia habent, ut est maior pars emplastrorum saturnina adiecto aceto coquenda, aut saccharum saturni, aut sulphur habentium.

### §. XVIII.

Ad resolutoriam, & ex parte diaphoreticam, seu per poros apertos dissipatoriam efficaciam respiciunt multa, quæ ad singulares morbos laudantur & commendantur, emplastrorum genera: de quibus deinceps paucis dispiciemus. Sic catarrhale, ut & illud ad tempora, si quid umquam boni fructus ferunt, efficiunt intus cohibitam materiam transpirabilem poros sufficiensem, eoque dolorem mouentem, resoluendo, promouendo & eliciendo: siue id agant simpliciter priuatiu modo, id est tollendo constrictiōnē, quæ excretoriū extrema clausit, virtute anodyna & relaxante: siue positivē agant partibus suis balsamicis resinosis, quibus solidis robur ad viuidiorem contractionem suppeditatur: siue denique eiusdem generis particulis ad humorū massam delatis, ibique expansis efficiant, ut sanguis maiori vi ad stagnantē materiam impellatur, eamque sensim foras eiiciat. Laudantur etiam emplastra epileptica, capiti ralo imponenda, suntque magni viri, qui se talibus tribuere aliquid professi sunt. Neque sa-

ne

ne ratio destituit consilium talibus utendi. Nam quum omnes consentiant, saepe epilepsias subsequi, quando excretiones cutaneæ impeditæ aut retroulsæ fuerunt: anno optimum erit consilium studere euocandis talibus, quæ intus delitescentia vel sua acrimonia irritant, vel copia tendunt, premunt, distendunt. Evidem prorsus existimo in talibus non pendere effectum a specifica quadam efficacia eorum, quæ emplastro indita sunt, frustraque aut dicis tantum causa admisceri viscum querinum aut semina psonie, & quæ sunt alia huius generis: quium solus effectus ille quæri debeat, ut pori a restringante materia euacuentur, & halitus libere difflari queant.

### §. XIX.

Video præclaros viros in vertigine gyroſa & titubante cum stupore paralysin minitante ad emplaſtra ve-  
nire non dubitas. Exemplum est apud WEPFERVM  
de adfct. capit. obs. 70. vbi emplaſtrum Willifii cum fructu  
adhibitum legitur: cumque illud nondum satis effecſet, ipsum vesicatorium capiti raso fuit adhibitum. Idem  
etiam auct̄or obs. 96. ad ſæuanam hemicraniam mitigandam  
nihil æque profuſſe, ac emplaſtrum de cucumere afini-  
no PAVL. AEGINETAЕ scribit. Id quale sit, apud  
hunc auct̄orem nondum inuenire possum in serie emplaſtrorum, quæ plurima laudat libro septimo. Neque  
tamen dubito huc referre, quæ libr. III. p. m. 59. narrat de  
femina, quæ operæ pretium fecerit radicem hanc recen-  
tem contundendo & vna cum absinthio decoquendo in  
aqua & oleo, hocque decocto partem dolentem fouen-  
do; quo facta ipsam radicem cum herba contundendo

D

in

in mollem massam redactas, cataplasmatis instar imposuit. Certe non absurdum videtur auxilium, radix enim cucumeris agrestis valde purgatoria, externe adhibita est potens discutiens, absinthium autem habet partes oleosas anodynæ & spasmis deliniendis aptas, quæ coniuncta, & post fotum relaxantem imposita, non potuerunt non efficaciam optabilem exserere.

### §. XX.

Multus passim sermo est de emplastris antifebrilibus, satisque multæ occurrunt descriptiones, quæ talem effectum promittunt. Quemadmodum vero febres valde diuersæ sunt, diuersisque causis excitantur & sustentantur: ita fieri non potest, vt vnum detur, quod promiscue omnes curet: aliquibus autem præsidium ab emplastris satis certum promitti darique potest. Candidatus quidam medicinæ tussi hypochondriaca efferatissima & simul quartana febre, quæ ultra annum durauerat, vtriusque morbi optatum finem attingebat, ipso menle decembri iam finiente, quum aliquot diebus totam regionem hypochondriacam emplastro splenetico obtexisset, & bis terue pilulis Starckeyanis ante paroxysmi aduentum usus fuisset. Scilicet tensiones spasticae illarum partium efficaci medicina anodyna & antispaſmodica tam intus data, quam exterius admota, superabantur, & sublata causa, cessabat effectus. Præcipue itaque iuuant talia, vbi in primis viis nihil hæret, sed tensiones in membranosis partibus efficaciter remittendæ sunt. Forte hoc in adolescentum, qui corporis incrementum capiunt, febribus non satis attenditur, quorum morbus saepe diu multumque per interna omnis gene-

generis frustra impugnatur, quem externis præfidiis, ad imitationem veterum, facile vinci posset. Sed emplastra officinalia, quæ antifebrilium nomine venduntur, aliud quid videntur intendere. Duo sunt in *Dispens. Br.* quæ araneas viuas terebinthina excipiunt: inque altero prorsus accedunt hufones & rubetæ. A talibus præter attractorium & exulcerantem effectum vix aliquid exspectes: forteque eo respexerunt inventores, quod in aliquibus, quibus efflorescentiæ quædam sponte enascuntur, febris solet cessare. In *pharmacop. Batcan.* legitur aliquid, vbi mira est farrago emplasticorum, ut mastiches, aloes & boli; stimulantium & rubefacientium, ut euphorbii, staphidis agricæ & salis; anodynorum, ut baccar. lauri & sem. foeni Gr. denique etiam, ne quid desit, vitrum venetum & fuligo adiiciuntur. Quid exspectari inde possit, ipse per se quisque æstimet. Videntur hæc empirica tentamina.

§. XXI.

Emplastra in rheumaticis, arthriticis, podagricis, ischiaticis affectibus præclare prodesse & conspicue nocere posse a quamplurimis auctoribus diu iam probeque monitum est. Quantum iuuent duobus exemplis fere eodem tempore didici. Matrona XXX. & aliquot annorum, alias robusta & sana, circa anni finem egressa domo, apud amicos aliquot horis morata' & potu Coffe in conclavi bene calido vsa, domum reuertebatur, vento boreali fortiter flante. Quum capit is ornatum manibus suis demeret, subito dolorem alterius humeri grauissimum experiebatur, ut vix persuaderi posset articu-

D 2

ticu-

ticulum loco non excidisse. Ingrauescebat dolor singularis horis, datusque diapnoicis illa nocte parum vel nihil cedebat: mane tamen aliquantulum mitigabatur. Appropinquante nocte ingrauescebat. Suadebatur emplastrum ex saponato camphorato, cum parte illius de hyoscymo. Differebatur usus ad medium noctis, quod delicatula odorem auersabatur. Tandem doloribus vita imponendum patiebatur, unde post tres forte horas dolor sensim minutus ad cubitum descendebat. Sequebatur doloris iter emplastro imponendo; unde & hinc cedebat malum & ad manum pergebat, inque pulpa trium digitorum desinebat, excitatis pustulis, fero turbido instar seri lactis turgentibus, quibus apertis mox omnis illa tragœdia finiebatur. Alter erat nobilis iuuenis, cui ipsa nocte, quæ annum finit & nouum inchoat, venatores sui gratulabantur lituis venatoriis inflatis. Huius concentus audiendi causa in lecto quidem manens se erigebat & diutiuscule sedebat. Erat autem proxima fenestra, per cuius rimas boreas tunc rigidissimus penetrans humero proximo grauiter allabebatur. Hinc grauissimus dolor ante diei exortum emicabat, annique auspicium satis molestum faciebat. Remittebat ille post aliquot horas & adhibitis fortibus tantisper auscultabat. Accersitus interim medicus, qui feminam modo distam curauerat, eademi medicamenta huic adferebat, scilicet diapnoica & emplastrum. Vespera aduentante, dolores recrudescabant incredibili vehementia: sed emplastro imposito, mox leniebantur, tandemque, quum totum corpus blande insudaret, omnino abibant, neque reuertebantur.

§. XXII.

§. XXII.

Manifestum erat in his ægrotis, antea sanis & vegetis, improuide admisum & profundius insinuatum frigus, quum humores antea ad corporis superficiem probe penetrascent, poros constrinxisse & lymphæ iter quounque modo impediuisse. Nihil itaque hic opus videbatur ambagibus, sed recta ratio suadebat poris referandis studere, per blandum calorem, perque diapnoicam potiunculam. Quæ quum non valeret referare poros, topico auxilio opus erat; quumque frictiones dolor non admitteret, commodissimam opem ferebat emplastrum ex lenientibus & resoluentibus concinnatum. Inter plura, quorum memini, exempla paucis dicam de viro quadrato, robustissimo, quinquagenario, qui cum negotiorum causa iter aliquot horarum pedibus fecisset, domum redux grauissimum dolorem in sura alterius pedis sentiebat, qui, quum multis diebus nulli remedium cederet, immo increaseret, patientiam omnem exsuperabat, ut vix satis prohiberi posset, ne manus sibi violentas inferret. Quum tandem imponeretur emplastrum de hyoscyamo, conspicuum leuamen, moxque liberatio optata, absque ullo remanente incommodo, sequebatur. Nuper etiam emplastri saponati usum in ischiadica passione graui confirmatum legimus *Actor. physico-med. A. N. C. volum. IV. pag. 438.*

§. XXIII.

Enimuero non audemus idem, tamque citum & iucundum auxilium cuiuis podagrico, præsertim diutius iam afflito, ab emplastrorum usu promittere. Fuere enim

enim hi omnes, de quibus diximus, antea sani & nondum tali morbo tentati. Et rheumatismus cum magis diffusus sit & laxiora spacia occupet, quam podagra, quæ tensissimis & siccoribus partibus inhæret; facilius vtique ille cedit, quam hæc expugnatur. Sunt autem emplastrorum podagræ & arthritidi desinlatorum varia exempla, neque par omnibus securitas. Saponatum, quia minii & cerusæ multum habet, periculo retropel-lendi terret: noui tamen in aliquo monasterio virginum sacratarum illud parari, multumque distribui ad vsum podagricorum. Arthriticum Mynsichti, ex au-toris præscripto, non admodum multum habet minii, sed dispensatorium permittit pharmacopoeo duplum accipere, quod facile sequetur, vt citius consistentiam acquirat: præstaret autem omittere. Antipodagricum Zwelferi caret omni saturnino, satisque resoluens est, nisi forte nimium: iuuerit certe adieicto aliquo anodynō illius temperare nimiam acrimoniam. Podagricum Pharm. Bateanæ opii excessiuam quantitatem habet, quamquam Freindio supra laudato videtur illud exter-no vsum satis securum esse, modo camphora mixtum sit. Illud de fuligine antipodagricum cautissime adhibetur, quoniam saccharum saturni basin facit, fuligo fuci tan-tum vsum præstat. Certum est, saeuiente paroxysmo, parum consultæ opis ab talibus exspectari: fugiente iam morbo, modestus vsum citiorem redditum ad valetu-dinem promittit.

#### §. XXIV.

Sed vela contrahenda sunt, vt de reliquis vſibus di-ci etiam possit, Stomachica emplastra & carminatiua fre-

frequenter sunt usus, neque facile quisquam inde laedetur. Emplastra ad haemorrhoidum cæcarum furorem, ac præcipue tenesimum molestissimum compescendum, etiam faciunt officium. Externe imponuntur, ubi locus id permitit, alias suppositoriorum molliorum forma intruduntur: quod consilium est IOAN. HEVRNII in *method. ad prax.* qui hoc scopo laudat emplastrum de cerussa, itemque diuinum dictum, additis vitello ouoro, myrrha, opio, croco, castoreo, requie Nicolai & similibus huius generis aliis. ROSINVS LENTILIVS commendat sticticum Crollii oleo hyperici & balsamo Peruiano emollitum, quod aliquando in tempore adhibitum maximam gratiam meruisse probe memini. Est in pharmacopœa Bateana simplicissimum ex lithargyrio & axungia emplastrum haemorrhoidibus exulceratis & dolentibus destinatum, cui usus tempore oleum dictum cum balsamo admisceri poterit. In pectoralibus affectibus insignem aliquando fructum ferunt vnguenta & emplastra. Meminimus casus, ubi illustris HOFFMANNVS generosissimo centurioni gravissime & vehementissime per totas noctes tussienti, interdiu autem immuni, adhibuit emplastrum toti pectori & dorso inducendum, indeque conspicuus fructus consequutus est. Ante paucos dies puellæ dira tussi & vomitibus laboranti, post irrita omnia alia optatam salutem ferebat emplastrum. Debent autem talia ex soluentibus & anodynis esse. Si repellentia multa insint, pleuritidem subsequuntam legimus.

§. XXV.

Supereft, vt aliqua dicamus de usu, qui hodie apud tonfo-

tonsores & balneatores nostrates vulgatissimus est, scilicet ad vulnera, vlcera, fracturas, aliasque externas corporis lœsiones. Recenti vulneri, vbi probe curatum est, imponi emplastrum, quod labia dehiscentia ad se inuicem adducat, minime reprehendendum est, istique negotio apta & necessaria, cum enchiresibus huc pertinentibus, puto esse omnibus notissima. Neque tamen existimandum est, nullum vulnus ad sanacionem sine emplastris adduci posse. Quin potius lœpe fit, vt leue vulnus tardius sanescat, si imponantur, omninoque ad cicatricem impetrandam in aliquibus necessarium est sicca deligatione vti. Vbi linamenta carpta imponenda sunt vlceri sordido, aquis phagedanicas, aut pulueribus idoneis imbuta vel conspersa, aut vnguentis balsamisque delibuta, apparatus huic continendo emplastra tenacia conducunt: eademque affluxi copiosiori arcendo inferuire possunt, vt & inflammationi cauendæ. Cui scopo omnino opus est saturninis illis, quorum magnus numerus suppetit. Sed quantas cautiones talia habeant, hic locus & scopus noster non permittunt amplissime exponere. Certum est, vlcera desperata vila & fistulosa curata sine emplastris & vnguentis fuisse, per mere interna præsidia: quando igitur eiusmodi interna, vt antimonia, mercurialia, sulphurea præmissa fuerunt, & res non satis succedit, venire etiam ad externa licebit: modo prouisum fuerit ægroto, ne post curationem aliquid vlcere in parte externa grauius succedere possit.

### §. XXVI.

In ossibus fractis, ad consolidationem reducendis,  
recen-

recentiorum chirurgorum fatis multi illico , postquam membrum repositum est , emplastra catagmatica tenacissima circumponunt ; quod omnino veteres factitasse non reperio . Magnum est incommodum , quoties noua deligatione opus est , remouere emplastrum tenaciter inhærens & pilis præsertim arcte implicatum , qui cum radicibus euellendi sunt , maximo curandorum dolore & incommodo . Fit deinceps ex eo , ut vulnuscula ab euulis pilis facta ichorem necessario emittant , qui vbi subsistit , pruritum , rosionem , sèpe inflammatiōnem excitat , curando molestissimam , sèpe etiam curanti . Quin si omnino illa euulso non fiat , acriora autem & attrahentia emplastro insint , cumulatæ ad cutimque decumbentes illæ exhalationes molestias creant : quod pridem annotatum est de emplastro oxycroceo , quod balneatores Germani , causas rerum non assequuti , omni fractæ parti sueuerant circumdare , quum in leuiori fractura cum graui contusione vtilissime adhibetur .

## §. XXVII.

Esse aliqua corpora , quæ emplastra ferre omnino nequeunt , sed illico dolorem , tumorem , inflammatiōnem , febrem sentiunt ; ante aliquot annos ostendit vir doctus in academia Argentoratensi : quod scriptum nunc non est ad manus . Quod si istiusmodi quid ex symptomatibus præsentibus intelligatur , erit vtique prudentis medici & chirurgi desistere a noxio & inutili remedio . Mihi ante paucos menses obtigit eiusmodi casus , vbi femina ab ambustione in dorso manus , super digiti cum metacarpo articulatione lœta , vt satis magna

E.

vēfica

vesica sero turgida enasceretur, illi apertæ emplastrum de spermate ranarum imposuerat. Illa nocte vehementissimi dolores oboriebantur cum rubidine & tumore, locus autem cuticula nudatus sordido & tenaci tegmine super oras suas assurgente obductus videbatur. Chirurgus imponebat vnguentum digestinum: nihil secedebat. Admiscebat igitur Aegyptiacum. Omnia redabantur grauissima, tumebat & rubebat tota manus, & ab articulo læso linea ruberrima inflammata ex basi latiore in acutum desinens, per totum brachium excurrebat vsque ad regionem subalarem. Aduocatus medicus, hoc viso, iubebat omnem emplastrorum & vnguentorum apparatus remouere, & fccis linteaminibus carpitis locum ab aere munire. Quoniam tota febre exastabat, crebris horroribus & lipothymis intercursantibus, præscribatur mixtura diapnoica & quies imperabatur: quo facto mox quies & remissio symptomatum, & absque ullo alio magisterio plena salus consequebatur. Instabant sane pessima, omninoque videntur illa fuisse euentura, nisi remota fuissent topica. Quo vero minus idiosyncrasia cuidam euentum hunc tribuat, quod alio tempore eadem femina ab emplastris luculentum illum fructum retulerat, de quo supra §. VII. dicebamus.

### §. XXVIII.

Fieri non potuit, quin de abusu emplastrorum dicens plura interspergeremus, quum de vnu eorum sermo esset. Neque habeo, quod magnopere addam, nisi notanda sit empirica persuasio, ab uno eodemque emplastro perpetuo eundem effectum prouenturum esse: ad coque

eoque infallibile secretum aduersus hunc vel illum morbum aliquos in hoc vel illo morbo curando, ope emplastri sui, iactare audias. Non minus emplastra, quam cetera medicamenta omnia, agunt pro eo ac subiectum, cui adhibentur, permittit: multumque diuersus esse debet effectus mature inque principio adhibiti, ab eo, quem iam confirmato malo exseret. Eundem tumorem, quem, vbi coire incipit, hoc emplastrum facile discussurum erat, serius impositum, vbi iam suppuratione incepit, maturabit. Neque haec solum discrepancia est, verum etiam ætatis, sexus & habitus corporum diuersus multum hic variabit. Sed haec medicis inculcare non opus est, qnare, ne putidus sim, haec omitto.

### §. XXVIII.

Audias multos conquerentes de multititudine emplastrorum, eandemque querelam in libris multis legas. Sunt, qui tribus quatuorue emplastris posse omnia peragi aperte affirmant. Evidem non diffiteor esse multa emplastra sub variis nominibus, quæ vix notabiliter differunt, si ingredientia species, ut miraculosum, diałaponis Tachenii, saponatum Barbette: sed proportione tamen variant. Videntur etiam tot emplastra saturnina non necessaria iure declarari: possetque vnum vel alterum vsu excidere. Sed est tamen semper vnum altero efficacius: vnde vbi exstant, medico licet eligere vel debilius, vel mediocre, vel fortissimum, ut indicationes requirunt. Ut itaque non intercedam votis, qui minui numerum optant: ita non video, quid noceat reipublicæ, quod plura ad sunt, & cuique licet illud inuenire, cui adsueuit, aut quod antea adhibuit. Non

E 2  
enim

enim pharmacopolia tantum sunt pro doctis medicis,  
sed pro tonsoribus etiam & balnearioribus, qui iudicare  
non valent, quid vere conueniat aut discrepet.

§. XXX.

Tandem suademus medico, quod iam optare  
PAVL. AEGINETAM video, vt studeat emplastris  
simplicissimis ad vnam indicationem directis, eaque ex-  
periendo bene exploret, illis autem sesquipedalibus, quæ  
emollientia, repellentia, mundificantia, sarcotica, e-  
pispaistica, rubefacientia, anodyna in vnam formulam  
cogunt, tamquam vniuersale emplastrum sic habituri  
simus, relinquat. Poterimus usus tempore facili studio  
coniungere, quibus indiuiduo curando opus vide-  
bitur: certiusque cognoscemus, cui parti adiiciendum,  
cui detrahendum, quid omnino omittendum sit. Sed  
temporis chartæque limites hic iubent filum  
abrumpere & tandem facere com-  
mentandi

F I N E M.



01 4 6529



Rehov





DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**EMPLASTRORVM**  
**VSV ET ABVSV**  
*QVAM*  
PRAESIDE  
**D. IOANNE HENRICO SCHVLZE**  
MEDICINAE ELOQUENTIAE ANTIQVITATVM ET  
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO  
ORDINARIO  
ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ET  
REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-  
LINENSIS SODALE  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
*Ad d. Maii, MDCC XXXIX.*  
PVBLICE DEFENDET  
**IOAN. GODOFREDVS NAVMANNVS**  
HAYN. MISN.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.